

DESID. ERASMI ROT.  
**COLLOQUIA**  
**FAMILIARIA.**

*In primo congressu.*



Non \* temere docet quidam, ut salutemus libenter. Comis enim & blanda salutatio sæpe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit, certe mutuam benevolentiam alit augetque. \* Quidam usque adeo Demeæ sunt, ingenioque agresti, ut vix salutati resalutent.

Nonnullis hoc vitii conciliavit educatio verius, quam natura.

Urbanitatis est, salutare obvios, aut eos qui nos adeunt, aut quos adimus ipsi colloquendi gratia. Item operis aliquid agentes, cœnantes, oscitantes, singultientes, sternutantes, tussientes. In ructu crepitue ventris salutare, hominus est plus satis urbani.

Sed incivilius etiam, eum salutare, qui reddit urinam, aut alvum exonerat.

Salve pater, salve matercula, salve mi frater, salve præceptor observande, salve multum mi patruæ, salve dulcissime nepos.

Urbanum est, addere cognationis aut affini-

A tatis

Non temere ] Extat in præceptis Catunculi puerorum. Quidam usq; adeo De. ] Solemus enim propriis exComædiis aliquando uti pro appellativis, sic Encliones, avaros, Thrasones, gloriosos, Balliones, lenones appellamus.